



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. VIII. Monet Principes terræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

etemini. Discant alij prudentiam, quæ de terra est, qui merguntur in terrenis desideriis, quasi plumbum in aquis vehementibus: Vos verò qui pane vitallissimo nutrimini, cauetene regalose pulas immundis cibis maculetis. Altiores mundo estis: cælestia, cum mundi contemptu, cogitate, atquè diligite & altissimum Iustitiae sacrificium in mei memoriam purissimis affectibus sacrificare. Et non solum placebit mihi holocaustum vestrum, plusquam sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, qui inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed supra omnia mundi bona iucundabor in castis, & humilibus cordibus vestris, quæ ardebunt igne charitatis in conspectu meo.

## C A P. VII I.

*Monet Principes terræ.*

**A**VDITE principes terræ, quæ dico: & sepositis curis aliis, vos quoque reges intelligite: & erudimini qui iudicatis terram. Ego vobis dedi Excellentiam hanc, ut tolleretis medullam

dullam cedri, & optima quæquè terræ  
comederetis. Certissimè enim per me  
reges regnant, & legum conditores  
iusta decernunt. Propter quod, intima  
gratitudine, deberetis seruire mihi, &  
gloriam meam studiofissimè amplifi-  
care. Et tamen erigimini aduersum  
me: quasi non ego, sed manus vestra ex-  
celsa fecerit hæc omnia, quæ aliis ho-  
minibus mirabilia videntur. Non benè  
utimini infinita bonitate, & miseri-  
cordia mea, per quam in throno sede-  
tis. Quænam alienatio mentis est hæc?  
Nunquid non omnia mea sunt, & va-  
leo deponere potentes de sede, & ex-  
altare humiles, qui viuunt in simplici-  
tate cordis, & tremunt ad sermones  
meos? Cur eleuamini filij Adæ, & quæ-  
ritis esse sicut di? Non est potentia, ne-  
que sapientia, nequè fortitudo contra  
Dominum, qui curuat imperia. Profes-  
sò licet amor, & gratitudo deesset,  
timor saltet mouere vos, ut  
Regem Regum, qui Lucifero non pe-  
percit, timeretis: ipse enim alligat re-  
ges in compediis, & nobiles eorum  
in manicis ferreis: sed & nunc quando  
puta-

putatis , vos posse quidquid placeat,  
stultissimè agitis, dum in quolibet ne-  
gotio , non ad me, sed ad consiliarios,  
vel milites, vel ad aurum multum con-  
fugitis, non considerantes, quia cor re-  
gis est in manu mea, & quocunque vo-  
luero , vertam illud. An existimats  
omnia, quæ cogitatis, & conamini, cō-  
dita nō esse apud me, & signata in the-  
sauris prouidentiæ meæ? An non exi-  
gam rationem de iniustis vestigali-  
bus , & tributis, quibus viduas, & or-  
phanos afflitis, & sanguinem dolen-  
tium absorbetis? Estote filij mei, reges  
magni pietate , & solinm vestrum mi-  
sericordiis multis exaltetur. Iustitia,  
& iudiciū sit ornat⁹, & præparatio se-  
dis vestræ, & pax dilatet regiones ve-  
stras. Reddite mihi tributum casti ti-  
moris; & amoris, & subditorum corda  
non ad ostentationem vanam , sed ad  
vera , & æterna bona exemplo vitæ,  
mouete. Reges gentium dominantur  
eorum , & tyrannicè subditos oppri-  
munt: vos verò serui Regis pacifici, qui  
mansuetudine infinita regnauit à li-  
gno, patres potius, quàm dominos re-  
præsen-

præsentate. Sic eritis reges non solum corporum, sed etiam cordium & regendi suavitate amplificabuntur dominus vestræ. Et ego vos fideles consortes meos, de terreno, ac temporali regno, ad Cœlestis, & æterni regni mei consortium, hora nouissima vocabo.

## CAP. IX.

*Hortatur diuites sæculi.*

**N**E latemini, filij, super multis diuitiis vestris, quasi alia bona meliora non sint, & domos æternas in terra, quam diligitis, possidere valeatis. Stulta enim est cogitatio hæc, quam experientia quotidiana condemnat. Quanti mercatores coaceruant aurum, & argentum, sine requie, & sine fine, & in pænam sollicitudinis, & laboris infiniti, non dimidiant dies suos? Tempus breue est: ego venio citò. Quorsum ergo tanta sollicitudo, cui omnes mundi opes satisfacere non possunt? Satis diuites facti estis: & certum est, vobis multa bona superfluere, quæ clamant aduersum

sum